INsula hæc Isß siue Eislandia nomen habet à glacie siue maximo in terra sta frigore. toto siquidem anno non vltra vnius mensis spacium terra à glacie quæ totam circumdat insulam, libera est: quod anni tempus nautis tam intrare quàm exire insulam volentibus imprimis obseruãdum, minimeque negligendũ est. Siciliã magnitudine duplo superat. Tres in ea sunt montes excelsi, quorum cacumina perpetuis operta sunt niuibus, circũ pedes verò suos sulphureo igne continuo ardent. nomina eorum Hecla sunt, mons Crucis, & Helga. Ad Heclam montem abyssus est infinitus, vbi sæpius spectra apparent hominum non ita pridem submersorum, veluti viuo corpore prȩsentium. hi à propinquis suis domum vt redeant inuitati; magnis gemitibus respondent, ad Heclam montem se reuocari, & paucis hisce vix prolatis propediem euanescunt. Mirabilia in insula hac comperiuntur, quorum quædam in medium adferemus. Vrsi hîc sunt albi, magnitudine & ferocitate insignes, vnguibus suis glaciem quoque perforare valentibus, vt exinde mira astutia pisces extrahendo escam sibi comparent. Fons ibidem est vaporeus, omnia quæ vapore suo contingit, in lapidem transformare valens. Certis etiam in anno mensibus incredibiles glaciei acerui ad terræ huius littora agglomerantur, qui ad saxa & rupes allisi, sonitus ac crepitus eorum exaudiuntur veluti hominum miserabiliter vlulantium ac gementium, vocumque ex alto descendentium: ita vt multi in ætate ista Religiosa sibi persuaserint voces has esse animarum ex purgatorio productarum, & alternatim summis frigorum cruciatibus expositarum. qua in opinione Gemma quoque Frisius fuisse colligitur. Per octo menses istum admodũ glacies terram hanc circumluit. Tanta hîc est piscium copia, vt sub dio acerui congregentur domorum magnitudine: vbi & præcipuam escam piscatura suppeditat. messis enim hîc nulla, & farina omnis vasis inclusa magno numero ex varijs littoralis Germaniæ vrbibus huc aduehitur. Similiter & vinum ac ceruisia per mercatores huc apportatur, pro quibus nihil præter induratos pisces & merces ferinas recipiũt. Vix credi possit quantam ex pecoribus suis hîc butyri copiam conficiant. adeo namque pinguia sunt hîc pascua, vt necesse habeant pecudes inde auellere, ne immodica satietate rumpantur. Verisimile autem est huius terræ pascua, nostratia pinguedine, virtute, ac salubritate longe antecellere, licet exterius viliora & abiectiora appareant: In Nidrosiensibus namque finibus ipse animaduerti, in altissimis rupibus, quæ adeo videbantur macrȩ & caluȩ vt prouentu earum vix bombicum aceruulum saturari posse crederes; nihilominus tamen hircorum & caprarum greges in ijs pascentes, veluti studio saginatos pinguescere, ac tam præstanti abũdare lacte, veluti in affluente horto educatos. Quamuis autem numerosam pecudum Septentrionalis plaga producat, exiguo tamen sunt corpore, ita vt vulgaris præstantiæ Batauа vacca vna tres Noriuegicas facilè adæquet, & bos Hungaricus vnus non minorem se præstare virum queat quàm tres Septentrionales: magna nihilominus ista pecudũ frequentia Butiri, lactis, carnium ac pellium maiorem præbet copiam, minoremque earum rerum caritatem. Subiecta est Insula hæc Noriuegiæ regno. posteaquam autem Noriuegia sub Danorum peruenit potestatem, vitulus matrem secutus est. Insignia insulȩ sunt asellus tostus & coronatus. Hanseatica vero societas in Noriuegiæ Bergis distinctum habent clypeum, cuius latus dextrum fissam Imperij habet Aquilam, sinistrum verò eadem quȩ Islandiȩ insignia. In Oceano hoc Septentrionali multa, varia, atque ingentia reperiuntur monstra, quorum nonnulla in subiecto typo depicta vides: Cete tam grandia, vt nonnunquam mediocrem te collem videre opineris, sȩpius circa Islandiam conspiciuntur, & maximas atque ornatissimas subuertere naues possunt, nisi huic

incommodo

incommodo præueniatur vel tubarum cantu tympanorumque sono ipsa mulcendo, ijs enim delectantur: vel vacuorum doliorum eiectione collusionibus eorum tempus fallendo, quo interea nauium neglectu salui euadant. Nec minus insolitum est vt trãquillo Oceano nautæ huiusmodi balænam conspiciant, non quidem extra aquam, sed quasi apricantem & sub aquis immobilem consistentem, fundum muscosum & æqualem esse rati, anchoram in eum demergant: qua imprudentia multi grande periculum subiêre. horum pisciculorum ossa eæ saltem sunt magnitudinis, vt Islandiæ ac Vinmarchiæ incolæ mediocres ex ijs domos sibi exstruere possint. Ipse quidem ante plures annos inter insulas, Fosen, V Vihe, Bratvver, Odden, & Gryp, ad Oceani littora dispersa ossium compagula veluti incudũ truncos crassissimos. Est & aliud quoddam maiorum monstrorum immane genus, quos Pistres siue Phissedros vocant (quorum Plinius quoque & Sylinus meminêre) istud sese erigit, tantumque aquarum flumen per capitis aperta quȩdam spiracula effundit, vt nauem ijs submergere possit, interdum etiam inuertat. Serpentes in eodem Oceano reperiunt 200. aut 300 pedum longitudine, qui se per ac circum naues flectunt, homines ipsamque nauem in extremum ponunt discrimen, nisi singulari quadam prudentia ac dexteritate huic malo succurrant. Sunt etiam alia duo magna ac horribilia ibidem animalia, quorum alterum dentes habet magnos ac horrendos, alterũ verò immania cornua, & faciem coruscantem, huius oculorum circuitus 16. aut 20. pedes complectitur: caput quadrangulum est, promissam habens barbam: posteriora tamen eius non adeo magna sunt. Alius piscis nomine Ziphus, monstrum horrendum ac canes marinos deuorans. Aliud quoddam monstrum, porco aliquatenus simile, & conspectum est anno 1537. Est & aliud quoddam balænæ genus à quibusdam Orka, à Noriuegis autem Springual (propter eximiam eius celeritatem) vocatum: id in dorso magnum & altum habet acumẽ. Cancri ibidem inueniuntur, quos sua lingua Humbros vocant, tantæ magnitudinis tantique roboris vt natantem virum vnguibus comprehẽdere & interimere possint. Reperitur ibidem aliud quoque immane monstrum, Rhinoceroti aliquatenus simile, naribus & dorso admodum acutis, illud cancros etiam duodecim pedum longitudinis deuorat. Aliud monstrum quod vaccæ capite præditum ab incolis vacca marina ideo vocatur: magnitudo autem eius nondum explorata est. Multa ac monstrosa in hoc tractu sunt genera piscium, volatilium, ac quadrupedum, vti per totam penè Septentrionalem plagam, de quibus singularem necesse foret librum facere.

(·,·)